

non potest, ut dicemus capite sequenti; et ideo melius utimur terminis significantibus simultatem, quibus Concilia utuntur. Cum autem dicitur in concursu plurium causarum necessarium esse ordinem, si intelligatur de ordine prioris et posterioris in ipso influxu, vel in ratione causandi inter se, falsum est quod assumitur, et sine fundamento, quia sine tali ordine potest aliis rationibus intelligi necessitas vel conjunctio plurium causarum sine ulla confusione vel superfluitate, quia vel nulla illarum est integra in suo genere, sed partialis, vel quia subordinantur ut causa prima et secunda, particularis et universalis.

Exemplum autem de habitu et potentia parum movere debet. Primum, quia non oportet ut teneat in omnibus, sed in hoc solum quod, sicut habitus non operatur in actu nisi cum volumus, ita nec gratia concomitans. Deinde quia in illo etiam exemplo falsum videtur (præsertim in voluntate, ut affecta supernaturali habitu) prius natura influere potentiam, quam habitum charitatis in actum ab illo elicium, cum voluntas non efficiat talem actum nisi elevata per habitum, quam elevationem supplet auxilium quando deest habitus. Et ideo quoad hoc eadem est utriusque ratio. Nam cum voluntas et charitas exeunt in opus, non præcedit aliqua vera causalitas activa inter voluntatem et charitatem, ut ob eam rem una censeatur prius natura influere quam alia, et ita in omnibus exemplum est nobis accommodatum. Nullus enim proprie dicet charitatem esse pedissequam voluntatis, quia influit in actum, quando voluntas vult, quia non præcedit hoc velle ipsum influxum charitatis, sed ipsamet juvat voluntatem ut velit, et ita est comes illius, non pedissequa; ita ergo dicendum est de auxilio gratiæ concomitantis.

*Quid sentiendum de distinctione illa: Gratia præcedit influxum liberi arbitrii in essendo, non in causando.* — Ex quo tandem constat quid sentiendum sit de distinctione illa, quod gratia præcedit influxum liberi arbitrii in essendo, non in causando; est enim hæc distinctio nobis inusitata, quia neque in nostris libris, neque (ut existimo) in aliquo nostro scriptorum invenitur. Quod vero ad rem ipsam spectat, potest illa partitio intelligi, vel de gratia concomitante, vel de præveniente. De concomitante verum est non esse priorem in causando, nisi prioritas sumatur pro dignitate et principalitate, ut dictum est. At vero talis gratia formaliter sumpta sub deno-

minatione adjuvantis, nec in essendo est prior si accommodate fiat comparatio. Primo quidem, quia si sumatur in actu adjuvans vel cooperans, ut sæpe sumitur juxta rigorem vocis, sic non est talis, nisi cum actu cooperatur, et denominatur a suo actuali influxu; ergo, si non est prior in influendo, non poterit esse prior in essendo sub tali ratione. Si vero sumatur quatenus in actu primo est præparata ad juvandum, sic, vel coincidit cum gratia præveniente juxta probabilem sententiam, vel comparatur ad liberum arbitrium per modum habitus vel actus primi; et ideo mirum non est quod sit prior in essendo quam operatio liberi arbitrii; non vero erit sic prior quam ipsum liberum arbitrium.

*Gratia præveniens ex quo incipit esse, physice illuminat intellectum et inclinatur voluntatem.* — At vero si propositio illa intelligatur de gratia præveniente (de hac enim videtur objiciens loqui sub nomine gratiæ sufficientis), sic etiam falsa est, quia gratia præveniens in eodem puncto, non solum temporis, sed etiam naturæ, in quo esse incipit, physice afficit intellectum aut voluntatem, habetque in illis causalitatem formalem, illuminando intellectum et inclinando affectum. Ex qua sequitur moralis causalitas, qua talis gratia movet et attrahit voluntatem ad consensum, quæ quidem in suo genere est causalitas effectiva, ut infra videbimus, et ideo ut sic est prior natura quam effectus ejus, qui est voluntatis consensus. Ergo talis gratia sicut est prior in essendo, ita est prior in causando; nam in suo modo facit nos velle et consentire; et ideo causalis hæc locutio vera est: Quia Deus vocat et præparat voluntatem, ideo homo convertitur.

## CAPUT VI.

QUO SENSU CATHOLICO EXPECTET DEUS VOLUNTATEM HOMINIS VEL NON EXPECTET JUXTA SENTENTIAM DE Vocatione CONGRUA, ET EXPLICATUR CANON 4 CONCILII SECUNDI ARAUSICANI.

Qui pugnant pro physica prædeterminatione sola Dei efficacia facienda in libero arbitrio, maxime videntur moveri, ne cogantur concedere, Deum expectare liberum arbitrium ut convertatur, vel ut velit a peccato purgari; nam putant esse damnatum in Concilio Arausicano secundo, canon. 4, quod sic habet: *Si quis ut a peccato purgetur voluntatem nostram Deum expectare contendit,*

*non autem, ut etiam purgari velimus per Spiritus Sancti infusionem et inspirationem, resistit Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas a Domino; et Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis, et velle et perficere pro bona voluntate.* Quem canonem vehementer contra nos urgent, quia in eo damnantur dicentes Deum expectare voluntatem hominis; nos autem asserimus Deum expectare voluntatem nostram. Specialiter autem Cabrera mihi tribuit, quod asseram divinam providentiam expectare determinationem voluntatis nostræ, citatque disputat. vigesimam secundam Metaphysicæ, sectione quarta, numero vigesimo nono, et deinceps, quod tamen non impugnat, auctoritate Concilii, sed hac ratione: quia id quod alicui causæ præsupponitur ut sit, non causatur ab illa; ergo si nostra determinatio divinæ providentiæ præsupponitur, non causatur ab ea; et consequenter divina providentia non est causa universalissima respectu omnium, nec prima simpliciter.

*Voluntas hominis dupliciter potest considerari.* — Hi vero auctores (nisi ego fallor) periculo incidendi in gravem errorem et se et legentes exposuerunt, non distinguentes inter voluntatem hominis secundum se spectatam, cum solis naturalibus viribus et naturali lumine rationis, et voluntatem jam a Deo vocatam et excitatam per internas illuminationes et inspirationes. Si ergo dicti auctores loquantur de homine in priori statu permanente, recte et Catholice docent Deum non expectare voluntatem hominis, ut a peccato purgetur; nam (ut statim explicabimus) hæc est propria mens Concilii Arausici loco citato. Item quia præcedenti capite ostensum est initium salutis non esse ex homine, sed ex Deo; non ergo expectat Deus ut homo suo libero arbitrio convertatur, vel converti incipiat, sed Deus ipse inchoat purgationem a peccato, excitando hominem in peccato jacentem ut inde surgat.

*Verisimile est nullum esse adultum quamvis infidelem, cui Deus aliquod initium vocationis non tribuat.* — Denique quid expectaret Deus ab homine nondum a se vocato? Numquid dispositionem aliquam, vel proximam, vel remotam, qua se præparet ad purgationem peccatorum? At homo suis solis viribus nullam hujusmodi dispositionem inchoare potest, nedum perficere, ut in superioribus dictum est ex doctrina fidei. Vel expectabit ut homo saltem non apponat impedi-

mentum, committendo peccata quibus suæ gratiæ illuminationem impediatur? At neque hoc expectat Deus, tum quia ad cavendum hoc peccati impedimentum est maxime necessaria gratia Dei, præsertim homini jam constituto in statu peccati, et indigente illius purgatione, nam *unum peccatum, nisi per gratiam remittatur, suo pondere in aliud trahit*; tum etiam quia Deus frequentissime vocat et excitat homines, qui suo libero arbitrio ad peccandum maxime abusi sunt, multiplicando quotidie et aggravando peccata. Verisimileque est nullum esse adultum hominem, quamvis infidelem et peccatorem, cui Deus aliquod initium suæ vocationis et gratiæ non tribuat, ut eum a peccatis excitet; nam *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Quod si fortasse Deus aliquando tardat, vel continet radios luminis sui, et peccatorem aliquem sine tactu cordis multo tempore relinquit, non est quia expectet hominem ut eum a peccato purget; sed quia vult ostendere esse opus meræ gratiæ et libertatis, dare vocationem suam cui vult, et quando vult, et esse opus justitiæ, illam non dare homini qui per peccata sua eam demeretur. Quam justitiam potest Deus in aliquibus manifestare, licet regulariter utatur majori misericordia. Præsertim quia non tenetur Deus vel singulis momentis vocare peccatorem, vel quam citissime, et in prima opportunitate, ut sic dicam, illum illuminare; sed singulis definit tempora et momenta, vel occasiones vocandi illos juxta consilium voluntatis suæ. Unde si aliquando differt vocationem, non est quia expectet ex parte hominis præparationem aliquam, sed quia nondum occurrit tempus a se definitum ad vocandum illum.

In prædicto autem sensu, nullo modo ex nostra sententia sequitur Deum expectare voluntatem hominis ut velit a peccato purgari, cum loquamur de homine jam vocato et excitato per divinam gratiam, et constantissime doceamus hanc vocationem gratis præcedere, nullo respectu habito ad præcedentem usum liberi arbitrii, neque illum expectare. Et ideo determinatio illa, quam ex libertate nostra simul cum divina gratia fieri dicimus, est ad consentiendum vocationi, quam in homine supponi necesse est; ergo ex illa sententia circa determinationem voluntatis humanæ, inferri non potest quod Deus expectet hominem ad vocandum illum. Igitur cum illi auctores ex nostra sententia inferunt Deum expectare voluntatem nos-



tram, loquuntur de voluntate jam constituta in secundo statu supraposito, id est jam excitata per divinam vocationem; ac proinde in hoc etiam sensu negant Deum expectare voluntatem hominis ut a peccato illum purget; et volunt hoc etiam doceri in dicto canone Concilii Arausicani.

*Deus postquam sua gratia excitavit hominem, expectat usum libertatis illius, ut eum a peccato purget.* — *Conversio ad nos ex parte Dei quid sit.* — Nos autem dicimus primo Deum, postquam sua gratia vocavit et excitavit hominem, expectare voluntatem ejus, id est usum libertatis illius, ut eum sanet et a peccato purget. Primo, quia ita colligitur ex Scripturis, addita ponderatione et explicatione Concilii Tridentini, sess. 6, capit. 5. Dicit enim Deus Zachariæ 5: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*, manifeste ostendens expectare se aliquam conversionem nostram, ut secundum aliquem specialem modum ipse ad nos convertatur. Illa autem conversio nostra usus aliquis libertatis est, nam (ut dicit Concilium) cum nobis dicitur: *Convertimini ad me*, libertatis nostræ admoneamur; ergo expectat Deus aliquem usum liberum, ut sese ad nos convertat, justitiam utique et gratiam infundendo. Nam conversio ad nos, quæ ex parte Dei intelligi potest, quando nos vocat et illuminat, non pendet ex conversione nostra, sed ex mera gratia sua, quam postulamus cum dicimus: *Converte nos, Domine, et convertemur*. Qua oratione, Dei nos gratia præveniri confitemur, ut ait Concilium; ergo, juxta sensum Scripturæ a Concilio explicatum, postquam Deus vocavit hominem, expectat responsum ejus, ut eum a peccato purget.

*Pulsare non est aliud quam vocare.* — Hoc ipsum aperte confirmat Spiritus Sanctus, Apocalyps. 2, dicens: *Ecce sto ad ostium et pulso, si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*. Si ergo respondere pulsanti est audire, profecto pulsare non est aliud quam vocare; præcedit ergo Deus vocando; postquam autem vocavit, stat ad ostium expectando an homo audiat et respondeat. Expectat ergo Deus voluntatem hominis jam vocati, ut ad eum per gratiam sanctificantem intret; quod significant ultima verba: Si aperuerit, intrabo ad illum.

Expressis autem et formalibus verbis id dicit Isaias, cap. 30: *Expectat Dominus ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis quia Deus judicii Dominus*, id est, quia non

per vim, vel solam potentiam, sed per iudicium parcit peccatoribus, ideo expectat liberam hominis conversionem et præparationem. Unde non loquitur de iudicio rigoroso, quod est actus justitiæ, nam hæc non intervenit in remissione peccatorum, sed de iudicio prudentissimæ et sapientissimæ providentiæ, qua Deus statuit neminem recipere in gratiam suam, nisi expectando voluntatem ejus, postquam eum vocavit, Unde Hieronymus ibi: *Grandis, inquit, clementia Dei, ut expectet nostram pœnitentiam. Beati sunt omnes qui expectant Dominum expectantem conversionem suam*. Denique omnia loca Scripturæ, in quibus dicitur Deus patientiam habere, ut hominem ad pœnitentiam adducat, ad Rom. 2, vel dissimulare peccata hominum propter pœnitentiam, Sapient. 11, et similia, ostendunt hanc expectationem Dei. Unde etiam est illud Isaiæ: *Quid amplius debui facere vineæ meæ, et non feci ei; expectari ut faceret uvas, fecit autem labruscas*. Quem locum infra cap. 31 latius expendemus.

Ratione autem demonstratur hæc veritas, quia hic usus liberi arbitrii, quem dicimus expectare Deum post vocationem, non est mere naturalis, aut per virtutem seu vires naturales; sed est usus liberi arbitrii elevati per excitantem gratiam, et adjuti per cooperationem ad ipsummet usum; ergo non est inconveniens quod Deus expectet hujusmodi usum ad dandum ulteriorem gratiam, aliqua priori supposita, imo est necessarium ut Deus conservet libertatis usum in supernaturali consensu. Et hac ratione non reprehendit Augustinus eum qui sibi tribuit quod veniat vocatus, dummodo non sibi tribuat quod vocatus sit, libr. 83. Quæstionum, quæstion. 68. Confirmatur, nam hæc expectatio Dei, ut sic eam appellemus, non opponitur gratuitæ vocationi, sed tantum determinationi ad unum, quam Deus solus post vocationem efficiat in voluntate; ostensum est autem Deum non ita movere voluntatem efficiendo se solo talem determinationem; ergo movet ita pulsando, ut expectet voluntatis determinationem, præparatus ad juvandum illam, si per eam non steterit.

*Concilium Arausicanum loquitur de voluntate hominis ante vocationem Dei.* — Secundo, dicimus Concilium Arausicanum locutum fuisse de homine et voluntate ejus in primo statu spectatis, scilicet ante vocationem Dei. Probatur primo ex fine et intentione illius Concilii; congregatum enim directe est con-

tra reliquias Pelagianorum; nam contra Pelagianos actum erat in Conciliis Milevitano et Africano circa tempora Bonifacii, in quibus definitum erat ad opera pietatis, præter naturalem libertatem, et præter legem et prædicationem, dari nobis internum auxilium gratiæ, non tantum ut utile, sed ut necessarium, et non ex nostris meritis, sed ex Dei gratia; in his enim Pelagius errabat, ut constat ex epistolis Augustini 105, 106 et 107; et ex epistola Concilii Carthaginensis ad Innocentium, et Innocentii ad idem Concilium, quæ sunt 90 et 91 apud Augustinum; postea vero, non obstante hac definitione, dixerunt Semipelagiani verum quidem esse necessarium esse auxilium gratiæ gratis datum, ut liberum arbitrium opera pietatis præstare valeat, nihilominus tamen Deum expectare ex parte hominis aliquid desiderium, petitionem, aut conatum aliquem solius liberi arbitrii, ut illum suo auxilio promoveat. Contra hos ergo coactum fuit Concilium Arausicanum tempore Leonis Papæ, ut communiter creditur, et in tomo 2 Conciliorum annotatur. Cardinalis autem Baronius in 6 tomo suorum Annalium, vult fuisse sub Hilario Papa, successore Leonis, anno Domini 463. Sed hoc ad rem de qua agimus parum refert, dummodo constet intentionem illius Concilii fuisse reliquias Pelagianorum extinguere, quod Baronius recte ibi declarat, § *Cum sæpe*, eritque indubitatum cuicumque viro erudito consideranti singulos canones et verba illius Concilii, et conferenti ea cum libris Prosperii, præcipue defensoris Augustini contra Semipelagianos. Constat igitur intentionem Concilii fuisse loqui in sensu contradictorio sensui Semipelagianorum; cum illis autem nunquam fuit controversia an Deus expectet hominem jam vocatum, sed an ante vocationem præcedat aliquid ex parte hominis, quod Deus expectet ut hominem vocet; ergo in hoc sensu definit Concilium Deum expectare voluntatem hominis.

*Concilium Arausicanum loquitur de Deo ut expectante simpliciter ad totum negotium salutis.* — Secundo, id constat ex verbis ejusdem canonis: *Si quis ut a peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit*. Loquitur enim de voluntate simpliciter sumpta, et de Deo etiam ut absolute expectante, et constituit illa tanquam duo extrema, de quibus erat controversia a quodam illorum inchoetur initium salutis. Et ideo non loquitur de Deo ut expectante ad hunc vel illum ac-

tum, sed expectante simpliciter ad totum negotium purgationis peccatorum, etiam ut incipit a primo desiderio exeundi a statu peccati et ideo subjungit: *Non autem, ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem et cooperationem in nos fieri confitemur, contradicit Spiritui Sancto, etc.*

*Voluntas a Deo præparatur per vocationem.* — Tertio, idem patet ex testimoniis Scripturæ, quæ Concilium adducit, scilicet: *Præparatur voluntas a Domino*; nam hæc verba a Patribus intelliguntur de præparatione quam Deus facit per vocationem. Unde Augustinus, l. 2 de Peccator. meritis et remissione, c. 8, intelligit nihil aliud esse Deum voluntatem præparare, quam *bonum inchoare per sanctam cogitationem* et inspirationem, et in hoc sensu ait: *Solius est Dei præparare cor*; nam si sit sermo de propinquiori præparatione ad justitiam, *non solius Dei, sed hominis etiam est præparare cor, quamvis homo illud non præparet sine adjutorio Dei, qui tangit cor*; qui tactus per vocationem fit, ut late prosequitur idem Augustinus, dicta quæstione 2 ad Simplicianum. Aliud testimonium affert Concilium ex ad Philip. 2: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*, quod etiam frequenter exponit Augustinus dictum esse ratione gratiæ operantis, per quam Deus facit ut velimus, ut patet lib. de Dono perseverantiæ, cap. 13, et lib. de Grat. et lib. arb., cap. 16, 17, et sæpe alias.

*Deus non expectat voluntatem hominis ut vocet.* — Ex quibus satis (ut opinor) responsum est ad dictos auctores; negamus enim Deum expectare voluntatem hominis, ut eum vocet; fatemur autem expectare, ut jam vocatus consentiat, cum auxilio ejusdem gratiæ. Sed aiunt: Ergo jam Deus non facit ut faciamus, sed solum allicit liberum arbitrium, et expectat beneplacitum ejus ut faciat, contra illud Ezechielis 36: *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*; et illud: *Dabo cor aliud, et spiritum novum dabo eis*; et illud 2 Paralip. 30: *In Juda facta est manus Dei, ut daret illis cor unum*; nam his et similibus verbis significari dicunt efficacissimam Dei operationem, quæ voluntatem non expectat, neque ab humano arbitrio pendet. Respondemus hæc omnia dicta esse ratione congruæ vocationis et motionis, quæ efficacissima quidem est, quoad hoc ut infallibiliter habeat effectum, quod verbis illorum testimoniorum tantum significatur, ut infra cum Augustino videbimus. Non est tamen ita efficacissima, ut im-



pediat liberam determinationem voluntatis; et ideo quantumcumque efficaciter moveat, semper expectat liberam ejusdem voluntatis determinationem, et quoad hoc, in bono sensu explicato, semper motio Dei præveniens pendet in actuali influxu ab humana voluntate, vel, melius et proprius loquendo, effectus per illam motionem intentus semper pendet ab influxu libero voluntatis.

*Respondetur propositioni quam Cabrera auctori imponit.* — De illa vero propositione: *Providentia Dei voluntatem expectat hominis* (quam mihi imponit Cabrera, licet in meis libris illam non legerit), inquiri potest an possit admitti in aliquo vero sensu, ad quod breviter dicendum est duos posse habere sensus: unus est Providentiam Dei secundum se totam, et quoad omnes effectus, quos in libero arbitrio operatur, expectare determinationem arbitrii, priusquam aliquid circa illud provideat. Et hic sensus erroneus est, et contra illum recte procedit ratio illa, quod inde sequeretur determinationem liberam non esse effectum divinæ providentiæ. Nam ut sit effectus, necesse est divinam providentiam, saltem quoad aliquos actus seu effectus suos, illam antecere, et non expectare. Quod etiam inductione evidens est, quia, ut liberum arbitrium possit hanc determinationem habere, necesse est ut Deus illi det et conservet esse et virtutem ad se determinandum; item necesse est ut vel prædefiniat, vel saltem permittat liberum arbitrium habere talem determinationem; item oportet ut liberum arbitrium habeat paratum concursum per divinam providentiam. Item ad divinam providentiam spectat ut talem determinationem vel præcipiat, vel prohibeat, vel consulat, etc. Qui omnes sunt actus providentiæ independentes a futura determinatione; ergo nullo modo dici potest providentiam Dei secundum se totam expectare hominis determinationem. Cumque hæc vera sint de providentia in tota sua latitudine, in providentia gratiæ et supernaturali haberet majorem amplitudinem et necessitatem; quia necessarium est ut præcedat auxilium Dei præveniens, vel sufficiens, vel efficax, quæ Deus providet ante prævisam absolute determinationem liberam voluntatis, et consequenter illa non expectata.

*In quo fallitur Cabrera.* — Peccat autem vel fallitur ille auctor, si in hoc sensu propositionem illam mihi imponat, ut in sua impugnatione indicat, quia, ut dixi, neque in hoc sensu, neque in alio invenietur propositio illa

in meis libris, neque etiam ex loco quem ille citat, disp. 22 Metaph., sect. 4, colligi potest. Nam ibi, n. 14 et seq. solum assero concursum Dei ad extra, ut actu influit in determinationem liberam voluntatis humanæ, ita esse antea provisum quoad præparationem ejus (ut sic dicam), ut tamen quoad executionem expectet influxum liberum voluntatis humanæ, non quidem prævium, sed concomitantem et simultaneum. Quod est satis certum, ut ex superioribus constat, quia ille concursus Dei, ut ab illo offertur, non est operativus determinationis liberæ se solo, alias determinatio non esset libera; ergo necessaria est cooperatio ejusdem voluntatis. Ex hoc autem actu seu effecto providentiæ, quomodo inferri potest providentiam secundum se totam expectare determinationem liberam voluntatis? Nihil enim aliud id est quam ex uno particulari ad totam collectionem vel distributionem argumentari. Quæ omnia sumi possunt ex eadem sect. 4, præsertim n. 33, ubi diserte explicamus quomodo Deus habeat perfectam providentiam determinationis liberæ voluntatis humanæ, et latius lib. 1 de Auxiliis, cap. 15 et 16, et lib. 2, cap. 7.

*Providentia divina quoad aliquos effectus suos expectat determinationem liberam voluntatis humanæ.* — Alius sensus illius locutionis, est divinam providentiam quoad aliquos actus seu effectus suos expectare determinationem liberam voluntatis humanæ, et in hoc sensu est Catholica propositio et certa. Habetque duplicem modum veritatis. Unus est, quod expectet Deus determinationem solum ut concomitantem et simultaneam, et hoc modo verificatur, tum ratione generalis concursus primæ causæ, tum etiam ratione actualis et specialis influxus cooperantis et adjuvantis, ut satis in superioribus explicatum est. Verumtamen hoc modo non dicitur proprie divina providentia expectare determinationem liberam absolute, sed cum limitato respectu ad liberum arbitrium. Nam determinatio ipsa, ut dixi, manat simul a voluntate et a providentia; ergo non potest providentia expectare absolute determinationem quam facit; potest tamen expectare influxum liberi arbitrii ut simul ipsa influat et faciat cum illo talem determinationem.

Quoad quosdam vero alios effectus suæ providentiæ expectat Deus determinationem hanc ut præviam et præsuppositam; et sic etiam est vera et certa propositio; et absolute

proferri potest non solum de influxu libero voluntatis in talem determinationem, sed simpliciter de ipsa determinatione; probatur inductione, nam punire est actus providentiæ; ut autem Deus provideat efficaciter hunc actum, expectat determinationem liberam voluntatis ad malum, vel ut præscitam, si comparatio fiat ad æternam providentiam, vel ut in tempore factam, si fiat comparatio ad executionem pœnæ. Similiter clare præmium est actus providentiæ, in quo Deus expectat liberam hominis determinationem ad bonum; sic etiam ut justificet et remittat peccata, expectat determinationem voluntatis ad suam conversionem, ut in hoc capite probatum est.

*Præter gratiam prævenientem agnoscit Ecclesia gratiam subsequentem.* — Denique præter gratiam prævenientem agnoscit Ecclesia gratiam subsequentem, quam Deus confert bene utenti priore gratia; ergo necesse est ut supponat determinationem liberam cum priori auxilio, et consequenter ut Deus, ad dandum gratiam subsequentem, expectet bonum usum gratiæ antecedentis. Ratio vero est, quia ad providentiam Dei pertinet ut non eodem modo provideat omnes effectus quos in voluntate operatur, sed in multis expectet dispositionem ejus. Quod per has causales locutiones recte explicari potest, nam Deus quædam providet circa liberum arbitrium, ut libere determinetur, seu determinari possit, et in his Deus non expectat determinationem liberam; alia vero providet quia voluntas libere operata est, et in his expectat determinationem ejus. Operatur denique ipsammet determinationem seu actum liberum, et in hoc etiam expectat ipsam voluntatem ut secum libere influat in eundem actum seu determinationem.

## CAPUT VII.

GRATIAM PRÆVENIENTEM NON SOLUM IN INTELLECTU, SED ETIAM IN VOLUNTATE ESSE, JUXTA SENTENTIAM DE VOCATIONE CONGRUA.

*Tres alii errores auctori tribuuntur ab adversariis.* — Præter refutatos errores, tres alios nobis attribuunt defensores prædeterminationis physicæ. Primus est gratiam prævenientem solum esse in intellectu et cognitione. Secundus est, eandem prævenientem gratiam tantum movere voluntatem per objectum cognitum. Tertius est, nos non ponere præve-

nientem gratiam, quæ sufficiat movere proprie voluntatem, trahere illam, et facere ut velit. Unde M. Davila, Proœm., pag. 2: *Non datur, inquit, juxta hanc sententiam gratia, quæ sit prævia operando in voluntatem. Item aiunt divinum auxilium hominis voluntatem non movere, sed opus illius etiam Deum ex parte operari*; et alibi, cap. 14, p. 152: *Illam (scilicet gratiam prævenientem prout a nobis ponitur) duntaxat intellectum illuminat, et a foribus voluntatem salutat*; et hinc alio loco infert, cap. 22, p. 264, *piam operationem voluntatis non fieri in nobis per infusionem et cooperationem Spiritus Sancti. Quia Deus, inquit, per medium objectum bonum quod proponit, illius assensionem non facit, sed ad eam invitatur, ut sua sola velit et consentiat libertate*; et infra, cap. 23, p. 286 et 294: *Illud igitur objectum, cum possimus illud pro libito a nobis rejicere, nullatenus per infusionem et operationem Spiritus Sancti facit nobis ut relinamus a peccato purgari*; unde ulterius progreditur, et de nobis dicit, cap. 41, pag. 404, *eosdem Theologos negare, præter prædicationem, exhortationem et propositionem ex parte objecti, necessariam esse Spiritus Sancti inspirationem et illuminationem*; et alibi ait, capit. 49, p. 240, nos dicere *cum qui se ultimo ad gratiam disponit, absque ulla inspiratione prævia præmovente operari*; et alibi, cap. 22, p. 261: *Ponunt (dicit de nobis) auxilium sufficiens quod potentiam juvet, sed velle non donat, neque operatur.*

*Predicta omnia per suas illationes auctori tribuunt.* — Gratia præveniens intellectum et voluntatem afficit. — Verumtamen hæc omnia per suas illationes nobis attribuunt, non quia hujusmodi propositiones et errores in nostris libris invenerint; nam in eis potius contraria et Catholica doctrina ex professo tradita et fundata est; illationes autem illas et nullius momenti esse ex sequentibus fiet manifestum. Nam imprimis quod gratia præveniens, seu divina vocatio, non solum efficax, sed etiam sufficiens in intellectu et voluntate sit, et utramque potentiam proxime afficiat, et suo modo disponat, certa est et indubitata doctrina. Nam de intellectu sunt vulgaria Scripturæ testimonia: *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, et similia; de voluntate autem sunt illa: *Præparatur voluntas a Domino*, cum similibus, et aliis quibus Deus dicitur non solum aperire cor, sed etiam tangere. Quia nomine cordis præcipue intelligitur voluntas, et licet verbum *aperire* possit refer-